

✠ C 2



15380

led

Sammelband

III

//.  
ADAMVS IN PA-  
RADISO DORMIENS,

SEV  
FATVM CONIVGII.

SCRIPTVM

IN NVPTIIS CLARIS-  
SIMI VIRI, ERVDITIONE, VIR-  
TVTE ET DIGNITATE ORNATISSIMI, D.

Georgij VVirth, Philosophiæ & artis Medicæ  
Doct̃oris, Illustrissimi Principis, Burggrauij Misnensis,  
D. Henrici senioris Plauensis, &c.  
eximij Medici, &c.

Ac pudicissimæ Virginis Annæ,  
Clarissimi Viri Martini Luffelij, I. V. Doct̃or-  
ris & scabini Lipsiensis, relictæ filiæ, &c.

A  
Iacobo Strasburgo.

LIPSIÆ  
IOHANNES RHAMBA  
EXCVDEBAT

ANNO

M. D. LXIII.



ADAMVS IN PARADISO  
DORMIENS, SEU  
FATVM CONIUGII.

**D**icite Pierides, si stant connubia fatis,  
Quæ tamen hanc seriem caussa, quis ordo regat.  
Vos cythara primum carmen cecinistis, Adamo  
Pronubus ipse Deus cùm sociaret Euam.  
Vos quoque vidistis risus oculosq; decoros,  
Cùm nudum tetigit fœmina nuda virum.  
O mihi Phœbeam faciles decerpite laurum,  
Et siccum viua spargite pectus aqua.

Cùm mundus verbo flatuq; fouente creatus  
Staret, in auctorem picta tabella Deum:  
Cum mare, squamigerum pecus aëriasq; volucres  
Proferret, reliquas terra benigna feras:  
Cognatis aderant cognatæ, quæq; careret  
Coniugis amplexu, bestia nulla fuit.  
Protinus alituum iungunt sua rostra cateruæ,  
Et gelidas per aquas piscis in igne natat.  
Semina luxuriant, & sunt connubia plantis,  
Cum tellure polus fœdera casta facit.  
Hæc vt homo pulchri certamina vidit amoris,  
Soluit in hos etiam flebilis ora sonos:  
Solutus ego mentis compos, prudensq; futuri,  
Sum sine coniugio, sum sine prole miser.

Producant igitur similes animalia foetus,  
 Humanum careat posteritate genus?  
 Quid tandem vasti subiecta potentia mundi  
 Me iuuat, his etiam ni fruatur ipse bonis?  
 Vota mori mea sunt, nec enim sic vtile vitam  
 Degere, quæ dici mortis imago potest.  
 Vix bene finierat, mundi rerumq; creator  
 Audijt, vt tergo fortè secutus erat.  
 Nec mora, spirituum cerebro fundente vapores,  
 Mox hominis soluit languida membra sopor.  
 Molliter interea lateris recludit obesum,  
 Iuncturæ facilis quâ patet ora, Deus.  
 Eximit hinc costam, loca complet inania carne,  
 Nec referunt aliquam vulnera facta notam.  
 Quæ modò dura fuit pars ossis, sanguine membra  
 Mollia, candidulo sparsa rubore trahit.  
 Vxor in amplexus Adami nata, recentis  
 Perfectas mundi suspiciebat opes.  
 Ille satur somni, sed non oblitus amorum,  
 Oblatæ postquam virginis ora videt:  
 Ridet, & aspectu gaudens simul vsque morari,  
 Hoc erat, hoc ipsum fleuimus antè, refert.  
 Hoc nostris os est ex ossibus, ista virago  
 Conueniens factò nomen & omen habet.  
 O animi nostri votum, mea summa voluptas,  
 Pars nostri semper sola futura thori.  
 Integra felicis mea nunc sunt gaudia vitæ,  
 Nam te non potui maius habere bonum.

*cum hinc factis  
 quæ nunc sunt  
 sit, et nunc hinc  
 opam facit.*

Tu

Tu mihi totus eris mundus, mors grata fuisset  
Aut certè sine te vita molesta foret:  
Sic ait, & pressans ad pectora casta puellam,  
Porrigit hic promptas, accipit illa manus.  
Felices, quantum fuit hoc in amore bonorum,  
Quantus, & ab omni crimine purus amor.  
Arboreos vtinam metuissent tangere foetus,  
Et violare Dei iussa verenda patris:  
Coniugium sine labe foret, sine mole laborum,  
Angeret & nullus pectora casta dolor.  
Nunc res ipsa manet, labi præstantia cœpit,  
Cui quæ prima dies, hæc quoque summa fuit.  
Peccati fœcunda lues, & triste venenum  
Auctores primos in mala nostra dedit.  
O miseri, quantum nunc est in amore dolorum,  
Quàm leuis, & multo crimine fœdus amor.  
Qualiscunque tamen, quædam vestigia sancti  
Ordinis à prima conditione refert.  
Nam nisi succedant thalami per vincla nepotes,  
Deficient pueri, deficientq; senes.  
Ergo dedit stimulos naturæ conditor acres,  
Fiat vt in socium pronior illa thorum.  
Ducere quis nuptam, quæ nubere vellet amanti,  
Si non sponte iugum tale subiret amor?  
Vnus amor vincit rixas, incommoda, curas:  
Vnus amor dulcem reddit amariciem.  
Nec tamen hunc animi motum fors cæca volutat,  
Nec casu flammæ concipit iste suas.

Siue sit auditæ virtutis amabile nomen,  
Quæ cura molli pectora sæpe coquit:  
Seu vis eripiat formæ præsentis ocellos,  
Casta thori fiunt pacta regente Deo.  
Patria disiungit multos, sed iungit eosdem  
Numine fatali conciliatus amor.  
Non mores ijdem, loca sunt diuersa per orbem,  
Nec socias Rheno mittit Elister aquas:  
Fortè tamen virgo triplicis prope flumina Rheni  
Viuit, Elistrino nupta futura viro.  
Illa quidem patria sibi gaudia fingat in vrbe,  
Et certo stultè speret amore frui:  
Huic aliquam vel hymen ad Elistri spondeat vndas:  
Fallitur arcanis spes vtriusque dolis.  
Quæ fortuna tamen, quod ineluctabile fatum  
Sæpe leues animos vincla sub ista trahit?  
Desine nugari, nec enim connubia casus,  
Stoica nec fixa lege cathena rapit.  
Libera mens Deus est, sed non mutabile verbum  
Edit, in hoc liquidò siqua futura docet.  
Si thorus est sterilis, si non contingit honestus,  
Hostem peccati disce timere Deum:  
Si fœcunda datur, si castis moribus vxor,  
Auctoris donum tu reuerenter habe.  
Siue Patris bonitas, seu vindicis ira gubernet,  
Diuinæ sunt hæc fœdera mentis opus.  
Copulat ipsa duos, qui coniunguntur, amantes,  
Vna fit his fatis fœmina virq̄ caro.

Vos



Vos mihi Calliope veteres euoluite fastos,  
Et primos testes, nam meministis, auos.  
Thariades, cuius quondam notissima Nilo  
Sancta fide pietas, & pietate fides:  
Sedes ille Deo patrias mandante reliquit,  
Huic erat alterius tum fuga caussa fugæ.  
Non mercede caret virtus lucrosa piorum,  
Iam Deus innumeras auxerat eius opes.  
Frigidus hic tardoq̄ tremens & debilis æuo,  
De thalamis nati cogitat antè sui.  
Quid faciat? patrijs discesserat exul ab oris,  
Nec fas externos sollicitare thoros.  
Huic seruus celebrisq̄ fide, dominoq̄ probatus,  
Turba sub imperio cætera, cuius erat.  
Fide minister ait, quæ nunc tibi iussa relinquo,  
Sedulus hæc peragas omnia, teste Deo.  
Non licet impuris thalamis mihi iungere natum,  
Velle Cananæas, spes mihi nulla, nurus.  
I precor ad patrios quondam loca pulchra penates,  
Hic erit in nostra fortè puella domo.  
Seruus adhæc, nihil est pro te mihi triste laborum,  
Admittet nullas sedula cura moras,  
Ibo tuo iussu, sed enim remorantur iturum,  
Omnia quæ dubiæ sunt mihi caussa viæ.  
Ad nostras mecum si virgo recedere terras  
Forfan, & assuetis nolit abesse locis:  
Nunquid ad hos iterum ius est mihi ducere natum,  
Ex quibus es diro raptus ab igne, lares?

Tum

Tum senior lachrimans trepidantia brachia cœlo  
Sustulit, & tristes reddidit ore sonos:  
Serue faces nostro tales non adde dolori,  
Discessi patria, non rediturus, humo.  
Ipse Deus quondam me iussit ab vrbe parentum  
Cedere, mutatis in meliora locis.  
Hæc etiam nostris habitanda nepotibus olim,  
( Spes me certa nequit fallere ) regna dabit.  
Ille suum celsa præmittet ab arce ministrum,  
Quo præeunte meis gratior hospes eris.  
Auspice quo poteris tædas ambire iugales,  
Et poteris tutas ire redire vias.  
Si votis est dura tuis ( eat omen in auras )  
Virgo, natali non abitura domo:  
Tu non fortunæ, tibi sed fortuna negauit  
Sæua fidem, nato sæua futura meo.  
Vrget iter, iussamq; venit legatus ad urbem,  
Condere iam nitidum sole parante diem.  
Tempus erat, quo, nocte suas minitante tenebras  
Fortè puellaris turba petebat aquas.  
Stat miser, & tacito cœlum clamore fatigat,  
Arida furtiuus & mouet ora sonis,  
O Deus hanc causam, domino placabilis, ipse  
Perfice, vel præfens, nam potes, affer opem:  
Ut, castas virgo quæ iam festinat ad vndas,  
Quæ mihi, quæ mulis iussa ministrat aquam:  
Illa sit, & nati thalamos conscendat herilis,  
Thariadæ patri grata futura nurus.

Nil

Nil terra inferius, cœlo sublimius alto,  
Inde tamen penetrant celsa per astra preces.  
In spe totus erat pius arbiter, ecce Rebecca  
Filia cognati cùm Bathuelis adest.  
Non erat in tota speciosior vrbe puella,  
Seu morum, formæ seu speculere decus.  
Iam referens latices, seruo prius ipsa roganti  
Iumentis iussam deinde ministrat aquam.  
Nec mora, sentit enim præsentia numina seruus,  
Dona dat, & donis oscula mixta premit,  
Ac ita, nunquid ait nobis pastoribus aptus  
In vestris stabulis angulus esse potest?  
Illa refert breuiter, iumentis commoda vestris  
Est domus, & vobis ianua nostra patet.  
Nec paleæ defunt, est fœni copia, cœnæ  
Integra sunt etiam fercula, ruris opes.  
Hæc vbi dicta dedit, patrias properabat in ædes,  
Læticiam vultu significante suam.  
Frater vt ex auro confecta monilia cernit,  
Et simul externos audit adesse viros:  
Vix memor ipse sui notas procurrit ad vndas,  
Porrecta cumulans verba benigna manu.  
Pabula iumentis, conuiuis vrna dabatur,  
Stabat & apposita mensa parata dape.  
Surgit, & astantes iam fortior hospes adorat,  
Et terra paulùm lumina fixa leuat.  
Non fas antè mihi vinum non tangere panem,  
Quàm domini peragam singula iussa mei.

B

Tharias

Thariaden vobis consanguinitate propinquum.  
Nostis, & hac eius nomen in vrbe manet.  
Vtq̄ Deo patriam ducente reliquerit olim  
Scitis, vt hostiles vicerit ille manus.  
Huic armenta, boues, asini, fortesq̄ cameli:  
Huic ouis, huic errat multa capella, greges.  
Non illi defunt argenti pocula facti,  
Et simul infecti pondera multa tenet.  
Sunt etiam famulæ, sunt subdita turba, ministri:  
Præposuit summo me quibus ipse loco.  
Deerat adhuc vnum, sterilis Sara, frigidus æuo  
Spem propriæ nullam prolis habebat herus.  
Esset vt huic igitur promissi seminis hæres,  
Semine de sterili foeta senecta fuit.  
Sara sub amplexu mox concipiebat herili,  
Sperabat pignus tota senile domus.  
Nata fuit soboles, quæ iam maturior annis  
Succedit patrio constituenda loco.  
Sæpe pater dixit, debes mihi nate nepotes,  
Ex hac gente tibi non tamen vxor erit.  
Auferat antè mihi Deus hanc cum corpore vitam,  
Fœmina quàm faciat te Cananæa patrem.  
Cumq̄ Deum testem sub relligione vocaret,  
Vrgeretq̄ meam per sacra verba fidem:  
Addidit, in patrias hinc tu proficiscere terras,  
Nota mihi puero, nunc loca grata seni.  
Elige de nostra formosam stirpe puellam,  
Quæ nato fiat nupta pudica meo.

Si tibi

Sitibi difficilis virgo, duriúe parentes:  
Arguet hanc operam nulla querela tuam.  
Agmina cœlestes astent tibi lucida turmæ,  
Et sine præsentí nulla sit hora Deo.  
Credite, conueniunt iam dictis omnia, non est  
Augurium sancti certius ore viri.  
Nam per mille vias vestram delatus ad urbem,  
Virgineos vidi picta per arua choros.  
Mox ego diuini signum sperare fauoris,  
Fundere mox gemitu testificante preces.  
Vt virgo nostris oculis quæ prima fuisset  
Visa, nec egelidam iussa negaret aquam:  
Illa per amplexus casto frueretur amore,  
In flammis domini nata puella mei.  
Angor in euentu, cùm vestra Rebecca veniret,  
In desiderium sponte parata meum.  
Mox vbi sentirem placido bona numina cœlo,  
Lustrarem tacitis oraçq; casta notis:  
Munera promebam, quibus hæc lætata, camelis  
Promisit paleas, hospitiumq; mihi.  
Vos igitur si cura senis, vos tangit Abrami,  
Si Deus hoc nostrum rite secundat iter:  
Dicite, num patria mecum sit itura relicta,  
In domini thalamos vxor amata mei.  
Spes est certa mihi: nec enim suspendere fas est  
Fœdera, si qua Deus pronubus ipse facit.  
Dixerat, obstupuit soror & cum fratre parentes,  
Res fati serie magna putatur agi.

Quid facerent ? peterentne moram responsa daturi ?  
Hanc admissurus non tamen hospes erat.  
Abnuerent thalamos ? non hoc diuina voluntas,  
Non patitur spreto pœna timenda Deo.  
Quid facerent aliud ? precibus de more peractis,  
Dant seruo faciles accipiuntq; manus.  
Protinus accedens, oculos deiecta pudicos,  
Facta sua virgo fœdera voce probat.  
Aspice, quid possit rerum pater, arbiter æui :  
Quæ iubet, effectu iussa sequente, iuuat.  
Non homo disiungit, non interualla locorum,  
Pectora, quæ coeunt sancta, ligante Deo.  
Ardet in aduentum soboles Abramæa Rebecca,  
Sustinet exiguam vix tolerare moram.  
Sæpe sub occasum solis properabat in agros  
Mœstus, & ad raucas prospiciebat aquas.  
O, quoties vacuis armenta reduxit ab aruis  
Pastor, in aduersos nocte micante greges :  
Ille sibi gaudens veluti redeunte ministro,  
Mox tardos retulit fraude patente pedes.  
O quoties optat grauium comes esse viarum,  
Et serui dominus sustinuisse vicem.  
Astat sollicito præsens absentis imago  
Virginis, & vires ignis ab igne capit.  
Hauferat ingentem defuncta matre dolorem,  
Maternæ luctum mortis ademit amor.  
Nec tamen hæc cæco crescunt incendia motu,  
Vis maior certi numinis intus agit.

Has

Has etiam flammæ magno discrimine nasci,  
Nec sine diuini parte fauoris ali:  
Exemplo nunc Sponse tuo, te teste probamus,  
Si modò testis eget rebus habenda fides.  
Ad sacras virgo supplex tibi ducitur aras,  
Quam loca disiungunt, hanc tibi iungit amor.  
L A V B E N S I (mirum) fuit altera forsan in vrbe,  
Dicere cui poteras, tu mihi sola places:  
Dicere quæcûq; tibi vellet, mihi viue superstes  
(O vtinam) nostros mox initure thoros:  
Quis tamen hunc certum vobis inuidit amorem?  
Distraxit mentes quæ mala culpa duas?  
Cura parum prodest, fatis connubia fiunt,  
Humanæ non sunt hæc rationis opus.  
Ad sacras virgo supplex tibi ducitur aras:  
Quam loca disiungunt, hanc tibi iungit amor.  
Pone graues animo curas, vultumq; serena:  
Iuncta fuit thalamo cœlitus A N N A tuo.  
Splendida diuitijs, simplex sine fraude puella,  
Maternum referens moribus ingenium.  
Siqua patris laus est, magno quoq; clara parente,  
Cuius in his terris nomen honosq; manet.  
Flectere qui dubij sinuosa volumina iuris,  
Et rerum nodos soluere doctus erat.  
Tu quoque virginæ flos exemplumq; pudoris  
Sponsa, puellares læta relinque choros.  
Disce placere tuo domino, gaudere marito:  
Hic tibi, non alius, conciliandus erit.

B 3

Et fuit

Et fuit ad patrium forsàn tibi ciuis Elistrum,  
Qui te ducturus, si licuisset, erat :  
Cui posses etiam, quòd ameris, amabilis esse,  
Anxia si mater, si pia fata velint :  
Sed tibi nunc gaude, talem quòd adeptam maritum,  
Cuius in externis est bona fama locis :  
Cuius ad obsequium certant in amore fideli  
Ingenio celebres, & pietate viri.  
LANGIVS hos inter, medica doctissimus arte,  
A fera dignus posteritate cani.  
Quem sibi proponens vitæ studiūq; magistrum  
Ille, suum, cepit quod semel, vrget iter.  
Vnde tuas primò ripas Vuiteberga salutat  
Inclita virtutis Pieridumq; domus.  
Cumq; furor bellum plus quàm ciuile moueret,  
Bellum Teutonicis exitiale plagis :  
Pieridas nostro profugas Helicone secutus,  
Armis cincte tuos deserit Albi lacus.  
Pisicosumq; petit Viadrum, qui Teutona limes  
Proxima Vandalico separat arua solo.  
Hinc ad Elistrinos Musis redeuntibus amnes,  
Tyro subit portas Lipsia culta tuas.  
Hic studio feruens, modò pendet ab ore docentum,  
Et modò priuatam gaudet habere scholam.  
Inde gelu sæuas reptando perambulat Alpes,  
Vt videat mores Aufonis ora tuos :  
Flumine Medoaco, triplici quoque fortia muro,  
Et duce Troiano mœnia clara subit.

Aonas



Aonas hîc Cæsar ruffæ cognomine barbæ  
Restituit montes, Castaliumq̃ nemus.  
Nec mora, Felsineam notus venit hospes in urbem,  
Cui vehit illimi flumine Rhenus aquas.  
Illic pro tantis meritis, insigne laborum  
Abstulit, ex titulis ius, ab honore decus.  
Inde viam flectens, Romæ vestigia lustrat  
Olim magnificas vrbis & orbis opes.  
Littora visurus Veneti ducis atque senatus  
Mox petit Adriaci regna superba maris.  
Iam satur externæ, patriæ non immemor oræ,  
Dum sperat reditum, dum sibi fingit iter:  
Ecce tuo iussu, regum rex maxime Cæsar  
Mittitur ad natum Carole quinte tuum.  
Cuius hic assedit lateri, regiç propinquus  
Sæpe tulit medicam, castra secutus, opem.  
Sponsa tibi gaude, talem quòd adepta maritum,  
Cuius in externis est bona fama locis.  
Viuite concordēs, sancti memoresq̃ pudoris,  
Præsīde securi fœmina virq̃ Deo.  
Nulla lues odi vestros irrepāt amores,  
Coniugium turbet nulla querela pium.  
Largiter accedant præsentis commoda vitæ,  
Floreāt egregia prole beata domus.  
Aspice Christe novos sponfos, qui pectora firmo  
Iungis amore, manus fœdere, membra thoro.

FINIS.

Ad hunc Caesaris cognominis barba  
Reclitit montes, Carthaginius nemus.  
Nec non, Fethinam nona venit hospes in urbem,  
Cui vobis illi flamine schenue adus.  
Illic praesentis actis, in ligno laborum  
Abfuit, ex tuis in ad honore decus.  
Iude viam feceris, Roma vestigia iustar  
Olim magnificas vrbis & opes.  
Liberas istas, / ceteris adis atque tenanus  
Mox perit Adiaci regis imperio maris.  
Iam laetis exierit, pariter non immemor ora  
Dum sperare reditum, dum sibi ingit ter:  
Fecit no iustu, regum rex maxime Caesar  
Mittunt ad istam Caroli quare tunc.  
Cuius hic ostendit laetis, regis propinquus  
Sapientie medicam, castis securus, opem.  
Sponte tibi gaudet, calens quod addebat martium  
Cuius in extima est bona fama locis.  
Vire concordis, sancti memoresque pudoris  
Praeside fecit formosa vultu Deo.  
Nulla lucis obliuio, vultus in te par amores,  
Coniugium turbet nulla puella piam.  
Iugiter accedat in praesentis commoda vira,  
Floreat egregia prole besta domus.  
Aplice Christe nos spones, qui pectora firmo  
Iugis amore, manus fordet, inuicta thoro.

FINIS

Gene





Na

34  
F. 4018


ULB Halle 3  
002 717 190



TA 70L







//.  
ADAMVS IN PA-  
RADISO DORMIENS,

SEV  
FATVM CONIVGII.

SCRIPTVM

IN NVPTIIS CLARIS-  
SIMI VIRI, ERVDITIONE, VIR-  
TVTE ET DIGNITATE ORNATISSIMI, D.

Georgij VVirth, Philosophiæ & artis Medicæ  
Doct̃oris, Illustrissimi Principis, Burggrauij Misnensis,  
D. Henrici senioris Plauensis, &c.  
eximij Medici, &c.

Ac pudicissimæ Virginis Annæ,  
Clarissimi Viri Martini Luffelij, I. V. Docto-  
ris & scabini Lipsiensis, relictæ filiæ, &c.

A  
Iacobo Strasburgo.

LIPSIÆ  
IOHANNES RHAMBA  
EXCVDEBAT  
ANNO  
M. D. LXIII.

Produ,